



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

Tertia Pars.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

tus sanctus Pater vt religiosus nisi sit occupatus ratione obedientiæ, relictis omnibus se tradat exercitiis orationis, & contemplationis. Itaque propter vitandam prolixitatem, prætermittimus hic plura alia documenta, quæ ad hanc materiam adduci potuissent Vnde dantes finem in hac via illuminatiua, dicamus de via vnitiua & perfecta.

TERTIA PARS.

QVID EST VIA VNITIVA, ET PERFECTIVA; & de conditionibus eius, qui ad eam cupit peruenire.

CAPVT XXVI.

DIXIMVS de via illuminatiua, quæ intellectum illuminat: & quomodo monachus poterit meditando ad finem operatum, qui est adhærere Deo, per amorem pertinere: tempus est vt tractemus de via vnitiua & perfecta, quæ vnit animam cum Deo, & facit eam perfectam. Et hoc est secundum doctrinam Sanctorum, vt supra dictum est ad veram sapientiam peruenire. Diffinientes autem primo viam vnitiuam dicimus, quòd est illa qua quis bene purgatur & illuminatus amorosè vnitur creatori suo, exultando de perfectionibus eius, illi soli placere desiderans, libèter & deuote nunc ipsam magnificat, nunc laudat, nunc admiratur; totus languet amore eius, vt possit dicere illud Cantorū: Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est, & illud: Fulcite me floribus, stipate me

malis, nunciate dilecto, quia amore languo. Et amor iste quo tuum quæris dilectum debet esse purissimus: scilicet principaliter propter suam bonitatem, secundum illud Psalm. Quid enim mihi est in cælo & à te quid volui super terram? id est ego purè amo te, non propter dona cælorum aut propter dona terrena, sed propter tuam summam bonitatem, propter te ipsum. Vnde considerandum est, quòd per viam vnitiuam eleuat homo mentem suam in Deum, excludens omnes vanitates, id est omnia creata: & auertit affectum sui amoris ab omni creatura, conuertens illum ad suum creatorem: & proponit sibi illud; Vidi cuncta quæ erant sub sole, & ecce vniuersa vanitas. Facitur frater sicut auis in altum se eleuans; & si occurrunt muscæ non cures, sed pertransias, dicendo: Ad solem tendo, id est, ad redemptorem meum Christum, qui est verus sol iustitiæ, qui solus est Sanctus, solus Dominus, solus Altissimus; & ideo nolo cor meum circa vanitates terrenas occupare.

Acquiritur autem hæc via per intimam re-collectionem ab exterioribus ad interiora, ab infimis ad summa, à temporalibus ad æterna.

Rursum aduertendum quòd ad acquirendam hanc viam, primo requiritur quòd homo per virtuosam assuefactionem & gratiam sit in virtutibus radicans, quòd nullam delectationem habeat in appetitu vanæ gloriæ, in cupiditate diuitiarum, in concupiscentia oculorum & gulæ.

Secundo requiritur internum silentium: vt

h

scilicet

scilicet non occupet se monachus circa exteriora, quid foris viderit, vel audierit, nihil curando tanquam si in somnis occurrissent.

Tertio, quædam cum Deo amorosa vnio: vt omnia eius iudicia, omnia facta, omnes doctrinas cum summa reuerentia amplectatur.

Quarto, quòd nihil aliud quærat, sed reputet sibi illum dilectum sufficientissimum, superexaltans eum in corde suo, diligat super omne visibile, audibile, cogitabile, & imaginabile, quia

totus { Amabilis.
Defiderabilis.
Fidelis.

Et est aduertendum quòd iste quem perfectè cupis diligere,

non est { Visibilis,
Audibilis,
Odorabilis,
Gustabilis,
Tangibilis,
Sensibilis, } sed totus desiderabilis.

Scias quoque quòd iste quem amando quæris,

non est { Terminabilis,
Figurabilis,
Numerabilis,
Circumscriptibilis,
Commutabilis,
Imaginabilis, } sed totus desiderabilis.

Vtèrius cogita quòd ille quem diligis,

{ Demonstrabilis,
Diffinibilis, }

non est	}	Opinabilis,	}	sed totus deside-		
		Æstimabilis,			}	rabilis.
		Inuestigabilis,				
		Intelligibilis,				

Quinto, quod frequenter ad memoriam reducat diuinas perfectiones, & illis intimè congratuletur. Et quamuis Dei perfectiones innumeræ sint, tamen communiter tres occurrunt, in quibus tuum affectum excitare debes, sic dicens:

O DOMINE & dilecte mi congratulor tibi, quia tu es potentissimus, non quod mihi in hoc bene sit quasi commodum meum principaliter quærens, sed quia illa est perfectio tua, quia nullum times, nullius indiges, nemo te superare potest, nemo valet tibi resistere, nullus dæmon, nullus aduersarius, & de hoc ego primo gaudeo.

Secundo Domine congratulor tibi, quia tu es sapientissimus, in te enim ipso clarissimè, & limpidissimè intueris vniuersa scilicet bona & mala, præterita, præsentia, & futura, actualia & impossibilia, temporalia & æterna, mutabilia immutabiliter, contingentia infallibiliter; & hoc totum est perfectionis tuæ: quia sic nullus te decipere potest, quia nihil te latet.

Tertio cōgratulor tibi, quia tu es summè bonus, hoc est summæ perfectionis: quia immutabiliter es bonus, & ita bonus quod quicquam te melius excogitari non potest: immo neque dignius, neque nobilius.

Quarto vtile est incipientem, habere aliqua puncta & verba, per quæ exprimat desiderium

suum affabiliter alloquendo Dominum in oratione, prout diximus in fine vię illuminatię, & dicemus in praxi huius vię capitulo sequenti.

DE HIS, QVAE TOTA HEBDOMADA
post nocturnalem synaxim secundum viam vniuersam
meditaturus est deuotus monachus, vt sex gra-
dus possit ascendere; quibus anima
Deo adhereat.

CAPVT XXVII.

Postquam ad locum orationi statutum peruenieris, primo Crucis sacrosancto vexillo te munies, & recolligens spiritum, assumes personam filij vel sponsę cum affectu amoroso, & forma meditationem de perfectionibus & laudibus diuinis discendo in eis gustare quęm dulcis est Dominus hoc modo:

Feria secunda, quomodo est fons siue principium & finis omnium rerum.

Feria tertia, quomodo est pulchritudo vniuersi.

Feria quarta, quomodo est gloria mundi.

Feria quinta, quomodo totus est charitas.

Feria sexta, quomodo est omnium regula.

Sabbato, quomodo est quietissimus gubernator.

Dominica, quomodo est sufficiētissimus dominator.

FERIA secunda debes morosę cogitare, quomodo Deus est auctor, hoc est alpha, & o, principium & finis omnium: de cuius arbitrio omnia

nia tam mortalia quàm immortalia pendent: & qui solus dedit vniuersis esse.

Quomodo ipse est qui facit, & reficit; creat, atq; creata gubernat: cuius idem est posse quod velle.

Quomodo Deus non potest cogitari non esse: quia si ipse non esset, nihil esset: & etiam quia à nullo alio habet esse, quin potius omne quod est, habet esse ab eo.

Quomodo nulla res est bonitatis suæ tam diffusiuæ, sicut ipse: bonum autem quanto communius, tanto melius.

Quomodo nihil est tam cito placabile, desiderabile, delectabile, & amabile sicut ille.

Quomodo Deus est causa vniuersalissima omnium rerum, illa scilicet quam Philosophi naturali ratione ducti, cognouerunt esse primam causam.

Quomodo ipse est à quo, & in quo, & per quem sunt omnia: & qui cœlum & terram implet, & eius virtute omnia subsistunt: & quod est vbiq;: & quod omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. qui non potest senti, neque videri, cum ipse vniuersa sentiat, videat, sciat, & nusquam desit. Cum igitur congratulando summæ bonitati tui dilecti, morosè in cordis tui intimis prædicta pertractaueris, forma orationem tuam suspiriis & ignitis affectionibus, mentem in Deum eleuans; & in corde tuo alloquens Dominum, dic amorosè.

O DOMINE, tu es amor meus, honor meus, spes mea, refugium meum, vita mea, finis meus,

meus, dux meus, eruditor meus, gaudium meum. Non aliud quæro Domine, nihil aliud volo; nihil aliud mihi dicatur; nihil aliud mihi proponatur nisi tu Deus meus: quia tu es mihi sufficientissimus, tu es Pater meus, frater meus, nutritor meus, rector meus, custos meus, qui es

totus { Amabilis.
Defiderabilis.
Fidelis.

Quis tam liberalis qui seipsum det?

Quis tam charitatiuus, qui pro tam vili peccatore moriatur?

Quis tam humilis, qui maiestatem suam tantum humiliavit?

O DOMINE, qui nullum despicias, nullum quærentem te deseris: nullum horres, sed prouenis eum, & occurras quærenti: delicta enim tua esse cum filiis hominum.

Quid in me inuenisti nisi sordes peccatorum, & mecum vis esse vsque ad consummationem seculi? Nonne satis fuit te pro me mori, & dare tot Sacramenta, & Angelos custodes? Et his semper sum ingratus, sed & tu vis esse mecum. O amantissime Pater, tam bonus es quod teipsum negare non potes. Faciamus igitur cambium simul: tu intende mihi, & ego tibi & sicut scis & vis fac mecum: quia tuus & non alterius esse volo. Da mihi Domine vt ego tibi soli intendam, te solum diligam, tuo semper amore ferueam: nihil aliud cupiam nisi te, & me totum tibi offeram, & oblatum nec aliquatenus repetam.

Oignis

O ignis me incendens, ô charitas me inflam-
mans, ô lumen me illuminans; ô requies mea, ô
refrigerium meum, ô spes mea, ô thesaure mi: ô
vita mea, ô amor qui semper ardes, & nunquam
extingueris.

O D O M I N E Iesu Christe Rex meus, accen-
de me igne amoris tui desiderij, tuæ charitatis,
tuæ lætitiæ, tuæ pacis, tuæ pietatis, tuæ mansue-
tudinis; vt totus dulcore tui amoris plenus, to-
taliter compos flammæ tuæ charitatis, te dul-
cissimum & speciosissimum Dominum meum
diligam ex toto corde meo, ex tota anima mea,
ex omnibus viribus meis, ex tota intentione
mea, ex tota contritione cordis mei, & lachry-
marum compunctione, ex multa reuerentia,
tremore, & timore: te semper habens in corde
meo, ante oculos meos in omni loco, ita vt ani-
ma mea alicuius priuati amoris non sit accessus:
sed transformatus totus in tuum amorem, me-
rear tecum vnus spiritus esse.

Postquam autem auxilio diuinæ gratiæ, se-
cundum prædictum modum per aliquod tem-
pus fueris exercitatus, amorem adeptus, ascen-
sis sex gradibus infra describendis, tunc sine ali-
qua præcedenti meditatione neque intellectus
consideratione, poteris centies in die amorosè
mentem in Deum leuare.

Et si quis ignorantia, vel simplicitate nescit se
in præfata via exercere, in fidei virtute funda-
tus, doleat saltem de suis peccatis. Et si nescit in
diuinis Scripturis meditari, conetur ex toto
corde suo Deum amare, in suis orationibus fre-
quentans verba quæ sequuntur;

h 4

O D O-

ODOMINE, quando te potero amplexari certo & integro amore?

O amator ardentissime, quando te diligam filiali amore?

Et hoc faciens, quantumcunque fit simplex, & illiteratus, ex dolore & compunctione peccatorum, quasi quodam pedum osculo & ex recordatione diuinorum beneficiorum sicut quodam manuum osculo ascendet ad osculum oris scilicet ad effectum diuini amoris secundum illud quod Salomon ait in Canticis in persona sponsæ scilicet deuotæ animæ Redemptori suo desponsatæ: Osculetur me osculo oris sui. Et non est putandus superbus, vel præsumptuosus, qui hoc osculum oris petit: cum prius fuerit assuefactus & exercitatus in osculis pedum & manuum per compunctionem peccatorum, & memoriam diuinorum beneficiorum, ut dictum fuit supra 19. cum loqueremur de via purgatiua. Et hæc sufficiant quo ad exercitium ferriæ secundæ, quod quidem consistit in suspiriis amorosis dilecti.

FERIA tertia veniens ad oratorium, signaculo sacro sanctæ Crucis consignatus, assume personam filij cum amoroso affectu, & forma meditationes hoc modo:

PRIMO intuere quomodo iste tuus dilectus est decor vniuersi, & vniuersa decorauit.

Quomodo est ille, cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur, & in quem Angeli desiderant prospicere.

Quomodo ab isto tuo dilecto habent decoré pulchri-

pulchritudinis fidera, rosæ, lilia, plantæ, & vni-
uerfa creatura.

Quomodo ab illo habent aures decoré sua-
uis melodix, philomelæ, alaudæ, & omnium a-
uium genera, & organorum.

Quomodo ab illo habent dulcorem saporis,
mel, vinum, & omnium pigmentariorum, &
fructuum genera.

Quomodo ille decorauit cælum fideribus,
aërem volucris, terram animalibus, aquam
innumerabilium generum piscibus.

Quomodo ipse sustentat omnia: & si suam
subtraheret sustentationem seu conseruatio-
nem, omnia in nihilum redigerentur.

Quomodo ipse est fons sapientiæ, à quo e-
manant omnes thesauri sapientiæ & scientiæ,
ille enim est æterna sapientia, attingens à fine
vsque ad finem fortiter, & disponens omnia
suauiter.

Quomodo ipse est qui cælorum continet
thronum, & abyssos intuetur: montes ponde-
rat in statera, terram palmo concludit, & posuit
legem aquis ne transirent terminos suos.

Cum igitur lentè ista, super potentia & de-
core dilecti tui fueris contemplatus, ex intimis
cordis forma orationem amore ignitus eo mo-
do quo diximus feria secunda dicens: O Do-
mine tu es amor meus, honor meus, spes mea,
refugium meum, &c.

FERIA quarta ad locum orationis accedens,
vbi tibi Crucis signaculum impresseris, &c. per-
sonam sponsæ assumens ingenti amoris affectu
forma meditationem modo qui sequitur:

h 5

IN-

INSPICE quomodo iste quem amando quaeris, est mundi gloria: quem adorant Angeli, adorant Archangeli, tremunt potestates, & cui omnia seruiunt.

Quomodo eum iure laudat omnis creatura: & ipse est spes nostra, salus nostra, honor noster, gloria nostra, finis & expectatio nostra.

Quomodo est abundantissimus: nam sua est terra, & plenitudo eius, & gloria & diuitiae in domo eius, & quod si honoratur & diues dicitur qui habet aurum, quantum honorari deberet, qui fecit aurum & gemmas, & omnia qui sunt in vniuerso?

Quomodo iste tuus dilectus est incomprehensibilis. de eo enim dicitur; Magnus Dominus, & laudabilis nimis: & magnitudinis eius non est finis.

Quomodo est tantae excellentiae, vt suam altissimam celsitudinem nemo possit capere ad plenum: neque Angelus, immo neque vlla creatura; quia omnis creatura est finita, dilectus autem tuus infinitus: finiti vero ad infinitum nulla est proportio.

Cumque ista congratulans gloriae & diuitiis tui dilecti morose fueris meditatus, ex praecordijs amore plenis forma orationem, vt supra feria secunda dicens: O DOMINE tu es amor meus, &c.

VBI FERIA quinta ad orationis locum peruenis & Crucis sanctae vexillo te insignieris, assumens personam, &c. vt supra cum ardenti amore forma meditationes hoc modo:

CONTEMPLARE quomodo iste quem diligis
totum

totus est charitas: & qui manet in eo, manet in charitate; sicut natura ignis est ardere, incendere, & calefacere, sic proprietates charitatis eius est creare, & se largissime diffundere, ad amorem inflammare, accendere, saluare, redimere, custodire, liberare, illuminare.

Quomodo iste dilectus tuus est loco incircumscriptibilis, & tamen ubique est. nam si ascenderis in caelum illic est: si descenderis in infernum, adest. de illo enim dicit Bernardus: Deus ubique regnat, ubique imperat, ubique maiestas eius omnia implet: nam in inferno exercet actum iustitiae, dicere autem in absentia eius hoc fieri, perfidia est.

Quomodo iste dilectus tuus est merces Sanctorum, iubilus Angelorum, speculum omnium electorum, expectatio Patriarcharum, fundamentum Prophetarum, solamen Apostolorum, corona Martyrum, iubar Confessorum, gloria Virginum.

Cum ergo ista charitati, & magnificentiae dilecti tui congratulans demorando meditatus fueris, ora modo quo supra, dicens: O Domine tu es amor meus, & caetera.

FERIA sexta ad oratorium perueniens, postquam te sacrae Crucis armis munieris, accipies personam ut supra, cum affectu amoroso forma meditationem sic:

ANIMADVERTE quomodo iste quem cupis ardenter diligere, est regula & exemplar omnium. & quanto res est ei propinquior, tanto est nobilior.

Quomodo aliqua habent esse solum, aliqua esse

esse & viuere, & sunt nobiliora prioribus: aliqua esse, viuere, & discernere, & sunt secundum naturam vtriusque nobiliora: aliqua præter hæc habent purum esse, & virtuosum esse. & sunt eis plus cæteris propinqua.

Quomodo per sincerissimam eius bonitatem, est in eo

omnis { Exemplaritas,
Virtuositas,
Communicabilitas.

Quomodo iste tuus dilectus est ordo sine ordinator vniuersorum, qui singula locat secundum statum suum, & sua merita, sursum aut deorsum, sicut prudens pictor ponit colores: hic rubeum, illic nigrum, ibi fuluum, vt decorat opus suum.

Quomodo iste quem diligere concupiscis est perfectissimus sine omni defectu, qui nullus indiget, quia est sibi sufficientissimus: quomelius, aut dignius, aut nobilius, aut perfectius quicquam neque est, neque potest excogitari.

Quomodo quicquid est laudabile, & perfectionis in creatura in positio, hoc est in eo in superlatiuo. Vbi autem hæc congratulando exemplaritati, ordinationi, & perfectioni tui dilecti demorans fueris contemplatus, affectu amoris igniti forma oratione eo modo quod diximus feria secunda dicens: O Domine tu es amor meus, &c.

SABBATO vbi accesseris ad locum orationis deputatum, consignans te sacro sancto signo in lo Crucis, ac assumens personam vt supra, cum affectu amoroso, forma sic meditationem:

CO

CONSPICE primitus, quomodo iste quem amas, est quietissimus, & perpetua mundum ratione gubernat: terrarum, cœliq; fator est; stabilisq; manens dat cuncta mouens.

Quomodo est principium, rector, dux, semita, & terminus omnium.

Quomodo ipse est finis, & requies tranquilla pijs, & immobilis, & immutabilis: quia vbiq; est. res autem dicitur moueri, quæ tendit ad locum vbi prius non fuit, immobilis autem quæ vbiq; est, & non habet quo tendat.

Quomodo est omnium creator: ipse enim dixit: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos: & quod anima quæ in suo dilecto radicata est sicut in suo centro recreatur, & quiescit: quæ verò non multis vanis phantasmatis inquietatur & fatigatur. Postquam hæc prædicta diligenter meditando in corde versaueris tuo, vt valeas in corde aliquem percipere saporem congratulans quieti, stabilitati, & recreatiuæ virtuti tui dilecti, amoro affectu ora vt supra, dicens: O Domine amor meus tu es, &c.

DOMINICA die oratorium ingressus, & sanctæ Crucis vexillo munitus assumensq; personam filij vel sponsæ cum amoris affectu forma isto modo meditationem tuam:

PRIMO cogita, quomodo iste quem amans desideras, est sufficientissimus, & qui eum possidet, omnia possidet. & qui eum non habet mendicus est, & pauper. quia quicquid præter eum est, non reficit: & si reficit, non sufficit: & si ad tempus sufficit, non tamen in perpetuū satiat, quin

quin

quin adhuc amplius quærat. qui autem eum habet, saturatus est: quia secum finem suum habet, & non aliud quod quærat.

Cogita quomodo iste tuus dilectus est super

omne { Visibile,
Audibile,
Gustabile,
Odorabile,
Tangibile,
Sensibile.

Quomodo est altior: quia super

omne { Terminabile,
Figurabile,
Numerabile,
Circumscriptibile,
Commutabile,
Imaginabile.

Quomodo est altissimus: est enim super

omne { Demonstrabile,
Diffinibile,
Opinabile,
Inuestigabile,
Extimabile,
Intelligibile.

Est tamen totus amabilis, maximè laudabilis, & summe desiderabilis.

Quomodo iste tuus dilectus est thesaurus fidelis: & ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum. quicquid tibi auferatur, si ille in te permanferit, sufficit tibi. nam illic est illud vnum, quod dixit Marthæ esse necessarium.

Quomodo ille est summa complacentia nostra, & si totus mundus nos reprobat, si ille nos appro-

approbat, sufficit nobis: desiderium enim nostrum ipse est, & nostra sufficientia.

Quomodo est vita, à qua habent viuere omnia: in quo nos mouemur, viuimus, & sumus. de illo enim dicitur: Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.

Quomodo dilectus tuus dicitur Christus, id est, vnctus. nam est talis vnctio & salsa, quæ apposita vnicuique rei mundi, facit ipsam sapidam.

Quomodo in electis est sapor gratiæ, in damnatis sapor iustitiæ, & vindex iniquitatum.

Quomodo iste tuus dilectus est creator, gubernator, redemptor, iustificator, retributor, & glorificator. Exultans igitur in meditatione harum perfectionum dilecti tui & eis congratulans, liquefiat anima tua, & in pace in idipsam dormiat & requiescat: & dicat: Nolite suscitare dilectam donec ipsa velit, & prorumpam in eius laudibus. Et si digne eum laudare nequeam, de eo tamen non flebo; cum solum de eo gaudeam: ille enim est dulcissimus sapor, & qui eum gustat, victus ab eius sapore, mori poterit præ amore. Tu solus amans vnice dilecte mi pulcherrime: Vbi quæso vis manere? Vbi vis te quæram, qui totus es sapor & dulcedo? O dulcis hospes animæ, esto hospes meus, & ego tecum sine fine.

Cumque ista congratulans sufficienti & fideli thesauro vitæ & vnctioni tui dilecti morosè meditatus fueris, ex intimis suspirijs & desiderijs eius forma orationem prout diximus ferias cunda, dicens: O Domine tu es amor meus, &c.

QUOMODO ANIMA NOSTRA PER
*feruidum amorem, sine aliqua intellectus ope-
 ratione erigitur in Deum.*

CAPVT XXVIII.

Diximus in superioribus quomodo intelle-
 ctus noster per meditationem & laudatio-
 nem diuinarum perfectionum erigitur in Deū:
 & qualiter in anima nostra, per verba & deside-
 ria ignita ignis diuini amoris est accendendus:
 nunc tractandū est, qualiter mens iam aliquan-
 tulum secundum formam suprapositam exer-
 citata, eleuatur in Deum absque vlla intellectu
 actione & ei per feruidum amorem adhæret,
 quod sancti veram sapientiam nuncupant. vt
 enim dicit diuinus ille Dionysius: Sapientia ista
 est per ignorantiam cognita; eo quod nulla hu-
 mana ratio intellectus vel notitia eleuat animā
 ad huiusmodi amorosam vnionem: sed est o-
 pus solius Dei, qui sine aliquo intellectus nostri
 officio dignatur sui sentimentum animæ com-
 municare. Vnde hīc anima nostra, quo ad in-
 telligere potius se habet passiue & receptiue
 quam actiue: nam ibi sensus non habet locum,
 vbi sola regnat amoris affectio. De hac sapien-
 tia dicit beatus Iacobus, quod omne donū per-
 fectum de sursum est descendens, id est, à Deo.
 Ista est sapientia quæ tantum & tam sæpè com-
 mendatur in libro Sapientiæ. Et non gignitur
 in nobis hæc sapientia per studium intellectus,
 sicut scientiæ humanitus acquiret, sed per exer-
 citia internorum affectuum: de qua loquitur
 Propheta, cū ait: Renuit cōsolari anima mea:
 memor

memor fui Dei & delectatus sum, & defecit spiritus meus: hoc est, quod anima quæ omnem humanam & carnalem delectationem à se repulerit, tactu diuinæ sapientiæ exhilaratur, & sursum eleuatur, & hic deficit. nam non sufficit linguæ exprimere officio, quod de suo hic sentit dilecto. Ad hanc sapientiam nunquam Philosophi peruenerunt, neque illi qui circa corporalia & phantasmata intellectum occupant. Et est super omnia dona nobis supernaturaliter infusa quantum ad modum eleuandi in Deum, scilicet per amorem, superiorem animæ portionem, neque enim in aliqua alia re anima tantum quiescit: neque adhuc in eo habens respectum ad aliquid commodi vel voluptatis, sed solum propter seipsum: qui solus est summè amabilis: quem quærit & petit & diligit duntaxat: quia sentit eum summè bonū, immò ipsum summum bonum ab omni defectu & miseria elongatissimum. Et vt dicit quoque idem beatus Dionysius cap. 7. de Diuinis nominibus: Sapientia ista ita pertingit suum dilectum per amorem, quod non speculatur, vel considerat eum speculatiuè, vel subtiliter: quod quidem non mouet ad amorem. sicut si quis ad inuestigandum aliquas veritates subtiles, vehementer occupetur in materia de Trinitate, vel de Æterna Verbi generatione, aut de mundi creatione, in quibus patet diuina potentia, non afficitur ad amorem; sed solummodo hæc sapientia studet illis considerationibus, quæ afficiant animam nostram, vt eleuetur & caleseat ad amorem ardentem sui conditoris, sentiens eum absq; aliqua

qua similitudine corporali, intelligens ineffabiliter. itaque supra naturæ cursum prius amatur quàm cognoscatur. Et qualiter per hanc Seraphicam sapientiam ametur & cognoscatur, hic experiri potest, dici non potest. nam cum hoc totum sit purè spirituale, nihil corporeum ad illud, aliquod adminiculum præstare potest, hoc enim Deus tantummodo per seipsum operatur. Vnde quilibet licet simplex & illiteratus qualis est vnus rusticus, vel vna simplex vetula, in hac sapiétia tam alta, potest repente fieri magnus discipulus, prout ei Dominus illam sapiétiam dignabitur communicare in magna vel parua quantitate, prout ad eam se præparauerit: si enim non se præparat faciens quod in se est, nunquam ad hanc sapientiam perueniet.

QVOD EXERCITATOR PLUS SENTIT & DILIGIT, QUÀM VIDET & INTELLIGIT.

CAPVT XXIX.

DAuid Propheta confirmat hanc sententi-
am, dicens: Gustate & videte quoniam
suavis est Dominus. Vbi ostendit quòd deu-
tus quisque prius gustat Deum affectu per amo-
rem, & deinde cognoscit intellectu quod inte-
riori palato prægustauerit. Rursum patet hoc
per hoc quod multi contemplatiui & deuoti
plus amant, quàm intelligant, vel sciant. sicut
patet de ignorantibus vel simplicibus, qui ma-
gnis scholasticis sunt deuotiores. Illi ergo talis
maiores habent amorem, & ad plura se exten-
dit

dit in eis amor, quàm intelligentia naturalis, & per consequens aliquis est amor in eis: qui non est per intelligentiam vel cognitionem prauam. Præexigit tamen talis amor lumen fidei, & præsentiam gratiæ & charitatis. secundùm enim quod ait Dionys. in principio libri de Mystica theologia, ista alta sapientia de qua loquimur, ista est sapientia, quod solū est eius qui verus est Christianus, & amicus Dei. Vnde notandum quod quamuis amor iste detur deuotis personis sine hoc quod præexigatur aliqua cognitio præcedens, quia hic amor non firmatur in anima nisi per cognitionem fidei, quam de Deo habemus, tamen quia hæc gratia non ita omnibus copiosè confertur, ideo qui nouiter contemplationi vacare incipiunt, antequam ad perfectionem huius amoris perueniant, in quo omnis contemplatio finitur, oportet primitus speculationi & considerationi creaturarum, & diuinorum operum insistere: quemadmodum ei qui vult in altum ascendere opus est scala. Hoc insinuauit Propheta, cum dixit: In meditatione mea exardescet ignis: quasi dicat: Prius quam anima igne diuini amoris inflammetur, oportet vt præcedat aliqua creaturarum, & diuinorum operum cōsideratio: qua veluti quadam scala sursum feratur. In perfectis vero & exercitatis contemplatiuis absque vlla scala intelligentiæ vel considerationis speculatiuæ vel practicæ alicuius alterius rei, quæ non est Deus: & adhuc nulla de Deo præcedente speculatiua cogitatione, mox per ardorem amoris erigitur sursum superior animæ portio. Et quia aliquis

posset dicere quod Augustinus dicit, inuisa a-
 mare possumus, incognita vero minimè: dico
 quod secundùm quod dicunt sancti Doctores,
 Augustinus vult dicere, quod in omni contem-
 platione requiritur aliqua cognitio: & hoc ve-
 rum est, iste autem tam altus amor de quo agi-
 tur, est totus circa Deum in quantum est sum-
 mum bonum; & est speciale donum Dei: ita vt
 per nullum alium modum, neque ab alio
 quàm à DEO haberi possit. Et ideo amor iste
 præsupponit cognitionem DEI, quæ habetur
 per lumen fidei, quæ est virtus Theologica, &
 per consequens nobis infusa à solo DEO. &
 per nullam aliam viam gignitur in nobis talis
 amor, neque per aliquam cognitionem vel in-
 dustriam aut artem humanam: sicut ille amor
 communis, qui naturaliter excitatur in nobis
 ex quadam naturali inclinatione animæ no-
 stræ in rem amatam. Et ad clariorem præmi-
 sorum intelligentiam est notandum, quòd si-
 cut contingit accedentem ad ignem prius sen-
 tire calorem ignis, quàm videat eius lumen,
 sic contemplatiuus perfectus prius sentit calo-
 rem diuini amoris, quàm cognoscat quod ex-
 peritur, saltem in hac vita: nam in patria aliud
 erit: vbi anima nostra inseparabiliter vnietur
 cum illo æterno lumine gloriæ, quod est Deus.
 Ad istum amorem de quo loquimur, citius vel
 prius ascendit, qui sæpius suspirans & gemens
 in corde suo, dicit illud, quod supra diximus
 in meditatione & oratione secundæ ferix hanc
 materiam tangente; O DOMINE quando te
 diligam? quando te fruam? quando te ample-
 xabor?

xabor? quando intra me intuebor? & cætera. Qui huiusmodi est, citius eleuatur ad amandum, & feruenter desiderandum Deum, quàm si contemplaretur profunda arcana immensurabilis æternitatis, vel diuinarum processio- num. qui enim huiusmodi speculationes in mente sua versat, vt sciat solum, & non vt igne diuini amoris ignescat, parum proficit: nam amor est finis omnium cogitationum homine benè ordinato. Et quia hoc non fecerunt magni Philosophi, neque faciunt moderni Theologi, ideo quamuis sint magni speculatiui, sunt tamen elongati à Deo & ab omni deuotione, & amore, & timore Dei, in multis & magnis sceleribus inuoluti. De hac tam sublimi & tam gloriosa sapientia ait beatus Paulus: Quam nullus sapientum, scilicet Græcorum intelligere potuit. De qua etiam Corinthijs scribens, ait: Spiritus noster spiritui diuino vnitus, sentit quæ sunt eius, & hoc est sapientia quam loquimur inter perfectos. de illa quoque Redemptor noster dixit Apostolis ante ascensionem: Induemini virtute ex alto. Et hoc signatur cum ad altare induitur sacerdos: qui incipiens à capite vestit se amictu alba & casula: eo quòd ista sancta sapientia solum venit de sursum, neque quisquam alius eam docere potest, quàm

DEVS.



i 3

DE

DE EFFECTIBVS, QVOS GRADATIM

*iste amor vnitiuus & perfectiuus in anima
operatur.*

CAPVT XXX.

Opera siue effectus, quos iste diuinus amor & spiritus supernæ contemplationis, in mente deuota gradatim operatur, secundum doctrinam Sanctorum sunt sex isti gradus,

{	Illuminatio,	{	Desiderium,
{	Inflammatiō,	{	Saturitas,
{	Suauitas,	{	Raptus.

Et significantur per sex gradus, quibus Salomon ascendebat ad thronum, qui erat in alto positus: quia eodem modo Christus Iesus ascendit per eos in altiori portione animæ nostræ, quæ dicitur apex mentis: & illic residet, cum eam plena pace possidet.

PRIMVS gradus, vel effectus, quem iste supernus amor in anima contemplantis operatur, dicitur illuminatio: postquam enim illius igne seraphici amoris inflammatur, relinquit in ea quandam experimentalem Dei cognitionem: hic cognoscit anima Deum esse fontem totius bonitatis, nobilitatis, & speciositatis: & dignum omni honore, gloria, reuerentia, & laude. & ex comparatione ad ipsum, cognoscit seipsum esse miserabiliorem, viliorem, contemptibiliorem, & abominabiliorem quam aliqua mortali lingua exprimi possit. Et comparans Deum ad seipsum, cognoscit nihilominus quanta sit eius dulcedo, & clementia: quia suæ sapientiæ tam inæstimabiles thesauros dignatur

gnatur in tam vili loco, scilicet sua abominabili conscientia, & anima peccatorum omnium spurcitijs plena reponere.

SECUNDVS fructus, siue gradus huius vnitiui amoris, quæ est in hac altissima contemplationis pars, vocatur Inflammatio. nam anima illuminata habens experientiam speciositatis, sublimitatis, & nobilitatis diuinæ manet in tantum inflammata eius ignito amore, vt nihil aliud cogitet, neque in alia re delectetur: neque cogitare vel loqui aliud vellet. Et tunc abhorret prorsus omnem carnis voluptatem vndeunque venientem.

TERTIVS effectus, siue gradus est quædam suauitas & delectatio. Vbi enim anima fuerit illuminata, & igne isto diuini amoris inflammata, oritur in ea quædam ineffabilis delectatio, omnes superans mundanas delectationes, sicut mellis dulcedo fellis amaritudinem. itaque modicum quid illius supernæ dulcedinis præualet, & plus animam delectat quàm omnes mundi huius quæ fuerunt, & sunt futuræ carnales delectationes.

QUARTVS gradus dicitur esuries, vel desiderium: cum enim anima contemplantis sic illuminata, & delectata in Deo fuerit, sicut dictum est, desiderat ita vehementer per assiduum amorem & sentimentum Deo adhærere, quòd potius quæcunque tormentorum & pœnarum genera, in quibus ipse non offenderetur, eligeret, quam illis supernis delitijs, quas in suo dilecto expertus est ad horam carere. Et ideo omnis alia voluptas est sibi mors, & semper ma-

net in illo ardore & vehementi desiderio fruendi his delitijs, quas apud suum superabilem patrem & Dominum sensit.

QVINTVS gradus dicitur saturitas. tunc enim ita anima illis Dei sentimentis saturatur, vt nihil aliud quærat vel desideret: quin potius aliud habere vel possidere est sibi mors: tunc in ea sopiuntur vniuersa alia desideria, gaudia, & affectiones: & videtur sibi quòd fruitur Deo, & quòd fruens Deo, fruitur omnibus quæ sunt: & quòd sine illo nihil est: & quòd tenens eum est generalis regina super omne quod est, & esse potest.

Ex omnibus præmissis quinque gradibus, quos præfatus Seraphicus amor in mente veri contemplatiui operatur, procedit sextus, qui appellatur raptus seu excessus mentis: non quòd ille raptus requirat quòd homo videat aliquas visiones imaginarias, vel reales: sed requiritur quòd homo videat se illuminari, inflammari, recreari, eleuari per amorem in suum creatorem. ita quòd illud quod sentit & videt, non potest aliquibus verbis declarari ratione suæ sublimitatis, bonitatis, formositatis, puritatis, & nobilitatis. & ratio huius est, quia ille raptus, seu mentis excessus prouenit ex gratia Dei sua immensa bonitate, illā animā ita sursum ferre volentis; vt nulla alia res à Deo eā eleuare sufficiat: cum talis eleuatio omnē potentiā creatam transcendat. Et quia iste raptus est quid spirituale, ideo intellectus noster onere carnis prægrauatus non potest in eo diu permanere; sed

sed quasi captius elevatur, statim ad seipsum rediens. Habet se quoque intellectus noster in illo raptu, sicut oculus corporis intuens solis radios: qui non potest diu fixis obtutibus solem intueri; sed per modicum temporis aspicit: & mox non valens lucis solaris virtutem sustinere, clauditur: & iterum aperitur ad intuendum: & mox solis vigorem non sustinens, clauditur, simile accidit intellectui nostro in contemplatione solem iustitiæ intueri conanti. Rursum est similis sagittæ quæ sursum proiecta, statim deorsum descendit ratione suæ grauedinis ad descensum eam inclinantis. Et pisci extra aquam saltanti, & mox ad eam descendenti. Tale quid in proposito contingit.

Huic sexto gradui annectunt doctores hos duos sequentes:

Primus dicitur securitas: siquidem cum anima à suo sponso Christo Iesu experitur se tam ardenter amari, & sic illuminari, inflammari, delitari, & rari, concipit ab eo & in eo tantam securitatem, ut nulla huius mundi supplicia, vel corporis detrimenta, neque adhuc ipsam mortem dubitaret propter eum sustinere: & ex tunc nihil timet. Et tantam habet fiduciã in æterna Dei bonitate, quam prægustavit & expertus est, ut non formidet ab ea vnquam seiungi: quin potius confidat proculdubio se cum eo in gloria æternaliter futurum. O quanta habitat omnino tempore lætitia in tali anima, quæ illam æternam beatitudinem, quam infallibiliter sperat, hic iam prævidet & prægustat.

Secundus est plena tranquillitas, nam cum

animam huiusmodi nulla tribulatio neque damnatio corporis, neque metus terrere valeant, sequitur eam esse in plena pace & quiete, & tanta ut nullis verbis queat explicari. Vnde super hoc dicit Richardus in suis contemplationibus: O anima Christiana cum hunc Paradisum possis ascendere, & in hac vita permanere, vende omnia quæ possides & scis, & compara hanc gloriosam possessionem, nec cara tibi videatur: nam eius venditor Christus est, qui se offert vniuersis eam emere cupientibus.

Et est aduertendum, quòd in hac vita nullam prædictarum trium viarum supra expositarum, scilicet purgatiuam, illuminatiuam, & vnitiuam plene possumus perficere: sed nos ipsos in illis exercentes, ascendimus ad puritatem cordis, & charitatem perfectam in hac vita possibilem.

In exercitio primæ viæ quærimus Deum: quæquamuis inueniamus, non tamen per feruentem charitatem.

In secunda via scilicet illuminatiua offerimus hostias & sacrificia laudis, & ardentium desideriorum, spe, & auiditate, ad æternam beatitudinem perueniendi.

In tertia via, scilicet vnitua inuenimus illum, quem diligit & desiderat anima nostra.

In prima itaque via, mundanæ concupiscentiæ deferuntur. In secunda, mens illustratur. In tertia, iam quietata, quiescit in Deo. Nec putandum est quòd in præsentī vita omnino à concupiscentiis purgari queas, cum hoc beatus Paulus consequi nequiverit, ut ait Augustinus: &

Tracta-

Tractatus; Beatus vir, neque valemus omnes nostras affectiones sursum erigere, quin quicumquam earum terræ adhæreat, nam terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem, neque possumus ad tantam cordis munditiam hic venire: vt Deo incessanter per feruorem actualis amoris adhæreamus, quia quandiu in corpore viuimus, peregrinamur à Domino.

Hactenus exposuimus tres vias prædictas: & quomodo per eas si orationi & meditationi studiose vacaueris, poteris feriatim ad illud quod optas peruenire, scilicet ad vnionem illam cum Deo amorosam. Et ideo dantes finem huic viæ vnitiuæ, oportet vt nunc saltem breuiter tangamus, qualiter contemplando poteris ad illam seraphicam vnionem pertingere.

QVARTA PARS.

QVOD MAGNA LITERATURA EST
*scientia, & non sapientia; & quod contemplatiuis
 non est omnino necessaria.*

CAPVT XXXI.

QVAMVIS multi sancti, & præclari Doctores subtiliter de contemplatione locuti fuerint: sicut beatus Gregorius in Moralibus: & beatus Bernardus super Cantica: & Richardus de sancto Victore in suo libro de Contemplatione; & multi alij, ad quorum tractatus eruditi recursum habere possunt: pro minus tamen eruditus tractabimus saltem breuiter de ipsa contemplatione: licet plura de ipsa in superio-

perio-